



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Pia Desideria

Hugo, Hermann

Mediolani, 1634

XIII. Numquid non paucitas dierum meorum finietur breui? dimitte ergo me, vt plangam paululùm dolorem meum. Iob 10.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43734



Nunquid non paucitas dierum meorum
 finietur breui? Dimitte ergo me ut plangam
 paululum dolorem meum. Iob. 10.

c. Blancus fec.

13.

XIII.

Numquid non paucitas dierum meorum finietur breui? dimitte ergo me, vt plangam paululum dolorem meum. *Iob 10.*

S Cilicet, In magno cupis hoc me ponere lucro;
 Addita quod vita pars quotacumque mea.
 Si numerata forent aliquot mihi lustra, vel anni;
 Muneris hic poterat nomen habere fauor:
 Stamina sed breuibus iunxisse fugacia filis;
 Obsecro; dic pauci quantula summa, dies?
 Nempe ita qui vitam modò ducere cœperit infans.
 Dicetur moriens, occubuisse senex.
 Sic sua nonnullis descripta est vermibus etas,
 Vna quibus breuis est, integra vita, dies.
 Sic aliquis numerat celeres sibi flosculus horas,
 Natali tumultant quem sua fata die.
 Floscule mane puer, media vir, floscule, luce;
 Floscule, sub noctem, Sole cadente, senex.
 Sic orerisque vno morerisque, ò floscule, Phœbo
 Vno fisque puer, virque, senexque die.
 Staret adhuc volucrum saltem rota lenta dierum,
 Hora nec admissis quolibet iret equis;

F Ver-

Vermiculi canerent; tot plenis viximus horis;
 Flosculus, & totidem, diceret, herba fui.
 Sed tempus rapidis volat irreparabile pennis,
 Fluminis inque modum, lubricus annus abit.
 Menstruus impulsis rapitur quoque solibus orbis,
 Et fugiunt, nullo frena tenente, dies.
 Denique precipitis rota concita vertitur hora,
 Nec remeare potest, quæ semel hora fuit.
 Invida res, tempus; sua se per puncta trucidat.
 Se pariter fugiens, se pariterque sequens.
 Qualis teda suo se flammea funerat igne,
 Quæ sibi fatalem congerit ipsa rogam
 Sic redit in proprium sæclorum circulus orbem,
 Flectitur inque suas annua meta rotas.
 Non fuit antiquis male fabula prodita chartis
 Quæ genitor sobolem commoluit ore suam:
 Nempe vorax annos mensesque interficit ævum,
 Seque, fluendo parit; seque fluendo necat.
 Hora diem mensemque dies depascit eundo,
 Bis senisque senex mensibus annus obit.
 Annus obit, mensesque, diesque, horaque, recedunt,
 Et suus in se iterum tempora gyrus agit.
 Ergo meo exiguum spatium concede dolori;
 Non nisi concesso tempore fata querar.
 Non ego supremis tempus mihi risibus oro;

Non

LIBER PRIMVS. 83

*Non facit ad risus resve, locusve meos.
Pro lacrymis spatium, spatiū pro planctibus opto,
Hæc mihi tantilla, quam peto, causa moræ est,
Ite igitur magnis; lacrymæ, mea flumina, rivis;
Ite, ferite truces ora sinumque, manus.
Ite per os lacrymæ, seuite in pectora palma;
Pars bona, dum statis, temporis, ecce fugit.
Sentio, eunt lacrymæ; repetuntur, sentio, planctus;
Iam fleui & planxi, sistite; iam satis est.*

HIERONYMVS

Epist. 21. ad Paullam.

CVM primū homo peccauit æternitas
mortalitate mutata est, in nongentos &
amplius annos; exinde paulatim recrudescente
peccato, in breue tempus hominum vita con-
tracta est.